

inter te et dictum primogenitum plenarie dante Domino reformandam et alia nichilominus facienda, que pro salubri statu fidelium et commodo libertatis ecclesie viderit expedire. Verum quia dictus cardinalis ad partes easdem cum ea celeritate, quae expedit, se forte transferre non poterit, ecce dilectum filium fratrem V. penitentiarium et capellanum [nostrum] virum utique providum et discretum consilii maturitate preclarum et nobis ac fratribus eisdem merito sue probitatis acceptum illuc duximus premittendum, ut in mentibus vestris viam pacis spargens tam ad treugas inter vos uniendas quam ad pacis federa dante Domino reformanda interponat auctoritate nostra iuxta datam sibi a Deo prudentiam efficaci studio partes suas. Ideoque serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatenus premissis provida deliberatione pensatis devote super hiis eiusdem penitentiarii monitis et consiliis acquiescas ita, quod preter divine retributionis premium exinde valeas dignis in Domino laudibus commendari. Ne vero sollicitudo nostra circa^{a)} premissa infructuosa reddatur, eidem penitentiario damus nostris litteris in mandatis, ut te ac prefatum primogenitum ad id, si necesse fuerit, necnon universos turbatores pacis eiusdem et impediens eandem, contradictores etiam et rebelles, cuiuscumque condicionis et dignitatis existant, per excommunicationis in personas proprias, capellanorum et clericorum vestrorum et in capellas et terras vestras ac eorum interdicti sententias appellatione remota compellat, non obstante, si tibi vel ei communiter aut divisim a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari et capelle vestre seu terre interdicti minime valeatis per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem.

XIII.

Papst (Urban IV.) an König S(tephan V.), erstgeborenen Sohn König (Belas IV.) von Ungarn; ermahnt ihn, sich seinem Vater zu unterwerfen, und tadelt ihn wegen seines Bündnisses mit den schismatischen Kumanen.
(1263)¹⁾.

Hs. fol. 28^d—29^a.

Illustri regi S. primogenito carissimi in Christo filii nostri regis Ungarie illustris.

^{a)} folgt getilgt in Hs.

⁵⁾ Zur Datierung oben S. 186 f. Nr. 96.